

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4344

Auteur(s) : Robert Goillin, fils d'Hugues Goillin [particulier]

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1276, février

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Robert Goillin, fils d'Hugues Goillin, décédé, de la paroisse de Saint-Nicolas de Coutances, vend à l'abbé et aux chanoines de La Lucerne pour 50 sous tournois une mesure sise à Saint-Pierre-de-Coutances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° CXXIX, p. 111-112.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod ego Robertus Goillin, filius Hugonis Goillin quondam defuncti, de parrochia Sancti Nicholai de Constanciis, vendidi, concessi et eciam omnino in perpetuum dimisi viris religiosis abbati et conventui abbatie de Lucerna videlicet unam masuram cum suis pertinentiis quam habebam et possidebam et ad me pertinebat, de morte et successione dicti Hugonis Goillin quondam patris mei, in feudo eorumdem ; que quidem masura sita est in parrochia Sancti Petri Constanciarum inter terram et masuram heredum Egidii Flori et domum et terram heredum Hervei Le Begart, ab lateribus, et butat, ex uno capite, ad terram dictorum heredum Egidii Flori, et, ex alio capite, supra cheminum per quod itur de molendino As Grimoleys versus Renirvillam, habendam, tenendam et possidendam dictam masuram de cetero in perpetuum dictis abbati et conventui et eorum successoribus libere, pacifice et omnino quiete sine reclamacione et contradicione aliqua mei vel heredum meorum de cetero facienda, cum omni jure quod ibi habebam aut habere poteram ego vel heredes mei. Et tenemur ego dictus Robertus et heredes mei dictis religiosis et successoribus eorumdem predictam masuram cum pertinentiis supradictis fideliter observare, garantizare et deliberare contra omnes bona fide, vel alibi in propria hereditate nostra valore ad valorem sibi teneremur competenter excambiare, si forte garantizare et deliberare non possemus, salvo jure suo et aliorum capitalium dominorum. Juravi etiam ego dictus Robertus supra sacrosancta Evangelia hec omnia predicta me fideliter servaturum et quod contra premissa, per me seu per alium, de cetero non veniam ullo modo. Pro hac autem venditione, concessione et dimissione taliter a me facta predicti abbas et conventus quinquaginta solidos Turonensium michi donaverunt et persolverunt in pecunia numerata. In cujus rei testimonium perpetuum et munimen presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno gracie millesimo ducesimo septuagesimo sexto, mense februario.